

ILLUSTRISSIMO,

NOBILISSIMO, FORTISSIMOQUE

VIRO

D. D. JOANNI-CAROLO

DE SENECTERRE,

GALLIÆ MARESCALLO,

REGIORUM ORDINUM EQUITI,

GIVETI ET CAROLOMONTII GUBERNATORI,


ANTEA CHRISTIANISSIMI REGIS

APUD REGEM SARDINIÆ LEGATO,

IN PROVINCIIS PICTONENSI, ALNETENSI,

SANTONENSI, ET INSULIS ADJACENTIBUS

SUMMO PRÆFECTO,



MÆCENATI OPTIMO,

HAS THESES IN GRATI ANIMI ET OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM

DICAT, VOVET, CONSECRAT

Obſequentiſſimus & humillimus ſervus
Ludovicus-Maria Girard de Villars.



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-quartâ mensis Novembris, Anno Domini M. DCC. LVII.

M. LUDOVICO ALEXANDRO GERVAISE, Doctore Medico, Præside.

*An in morbis acutis soli naturæ * crises molienti fidendum?*

* Id est, corporis Mechanismo.

I.



MILLENIS patet infortuniis dolenda fors hominum. Vitæ summa brevis ducit ad orci fauces per salebrosas syrtes. Natos vix dies resecat Atropos pauperum tabernis regumque palatiis æqualiter infensa. Premimur ubique miseriarum mole, acutissimis obruimur morbis. Parcit imbellis senectæ poplitibus, sævit in ardentem juventam tetra febris, velut in floridam messem dura grando; perturbat ordinatos solidorum motus, laticis vitalis multipliciumque ab eo manantum fluidorum crasim pervertit: hinc ilias malorum quæ pro modulo virium summatim adumbrare tentabimus.

Hippocrates & quotquot sunt divi senis interpretes optimi insigniunt nomine morborum acutorum qui celeriter, & vehementer, & continenter, ad statum moventur. Hos dividunt in *extremè peracutos* qui judicantur ad salutem vel ad mortem tertio aut ad summum quarto die, ut febris pestilens; in *peracutos* qui judicantur quinto, sexto, & octavo die, sed septimo sæpiùs, ut febris ardens; in *simpliciter* vel *exactè acutos* qui ad decimum quartum diem protenduntur, aut decimum-septimum, aut vigesimum ad summum: in acutos *ex decidentiâ* qui quadraginta diebus judicantur. Post quadragesimum diem qui finiuntur & judicantur morbi, ut centesimo & etiam centesimo vigesimo die, dicuntur longi, talis est febris quartana.

Sui sunt stati morborum acutorum decursus. Principium non adeò ferox

clàm parat insidias: dolet caput, horret cibos æger, lympham appetit, contristatur, quærit requiem, calore deuritur, quandoque algent & rigent exteriora, artus quasi franguntur lassitudine spontaneâ, quandoque fodicantur ulceroso dolore, micat febris. Verùm latet anguis in herbâ; fit incrementum, morbus strages edit apertas, nec in tuto sunt res ægri. Augetur eretismus, crescit pressio lateralis in vasa, intenditur sanguinis velocitas, in motum celeriorem agitur irritabilis valdè musculosa & nervea cordis compages, pulsus fit frequentior, velocior, durior, amplior, violentiùs appellit ad mollem encephali pulpam cruor exæstuans, hinc morbi graves soporosi, sensuum abolitio; recalcitrant carotides, intumescit numerosa soboles vasorum duræ matris sensibilitate nobis conspectâ pollentis, hinc lancinans oritur capitis dolor, delirium, phrenitis; oculi fiunt feroces, fixi, distorti, audaces, horridi; facies flammat quandoque cum sudore, labia convelluntur, lingua durescit, torretur, nigrescit, scinditur non secùs quàm terra à sole nimis siccata, circà dentes lentores nascuntur, horumque intervalla nigrescunt; viæ aëris & cibi æstu intolerabili exassantur, occluduntur vasa inhalantia, nec potus sedat sitim, respiratio fit præceps, laboriosa, exspiratio ignivoma & cadaverosa, pulmones & plevram ægrè tranat sanguis, in horum vasis congeritur, hinc peripneumoniæ & pleuritidis varii gradus; modò laryngem & fauces obsidet cruor, hinc angina, cynanche: diversimodè afficitur genus nervosum, saliunt motus convulsivi irregulares, tremunt & subsultant artus; perturbatur ordo secretionum & excretionum, humores blandi fiunt acerrimi; bilis sapo eximius, oleosa aqueis aliter insociabilia tenaci fœdere jungens, putrescit, &, quas alluit partes, pessundat causticâ labe; vix emittitur pallidum & tenue lotium quandoque nigrum; cutis obstipata siccitate igneâ non transmittit sales noxios, hinc corrumpitur & dissolvitur sanguis limites nativos transgressurus quàm facillimè; modò difflatâ nectaris purpurei parte blandiori & liquidiori, densitatem inflammatoriam retinet cruor, sicque viscerum capillaria infarcit; hinc in abdomine, gastritis, enteritis, hepatitis, splenitis, nephritis, cystitis, hysteritis in fœmineo sexu; hypochondria tensa, dura, dolentia, inæqualia; insuper ex saburrâ acri & septicâ fiunt vomitus, diarrheæ, cholera, ileus, dysenteria.

Jàm jàm enarrata symptomata perpetuò & simul concurrere in omni morbo acuto, ne existimes velim. Observantur modò hæc, modò illa quæ cœli conditio & ægri constitutio variant in infinitum. In morbi statu vigorem servant præcipua & eodem tenore procedunt per aliquot dies qui constituunt tempus coctionis, cùm reverà tunc vires recolligat & totos contendat nervos natura, quò subigat, coquat, & expellat per loca convenientiora omnem materiam morbificam, sicque morbus acutus perfectam attingat judicationem.

II.

MORBOS complures acutorum crisibus terminari, codicibus mandarunt veteres medicinæ antistites; undè maximo apud ipsos viguit in honore crisium doctrina. Crises autem seu judicationes significant mutationem morbi subitaneam vel ad salutem, vel ad mortem, aut ad melius, aut ad pejus; oriuntur ex violento conflictu morbi & naturæ ferè æqualibus armis invicem colluctantium; supponunt ergò morbos vehementes (nil paucum criticum) naturamque validam seu robustas ægri vires; nî simul concurrant, vix unquam prodibit conspicua crisis. Porrò materiæ crudæ morbum acutum facientis evacuatio variam pro variâ ipsius conditione exigit præparationem quâ perficiatur debita coctio, & ex heterogeneis ritè subactis exurgat homogeneitas quædam.

Illa autem maturationis ſpecies non uno abſolvitur die; quandoque plures requiruntur ſeptimanæ ut res ex voto ſagacis Medici idonea moventis inſtrumenta, proſperè ſuccedat.

Hippocrates qui naturæ motus, morbi formam & lineamenta lucido veritatis penicillo ad vivum expreſſit ubique, dies quartenarios & ſeptenarios religiosè obſervabat in morbis velociter decurrentibus; quippe judicatorias indicant mutationes: (*a*) *ſeptimorum quartus eſt index*, & alibi *quibus ſeptimo die futura eſt criſis, iis quarto die nubeculam habet urina rubicundam & alia ſigna pro ratione.*

Quanquam quartenarios & ſeptenarios dies præcipuè ſpectandos, ut potè ſæpiùs judicantes, ſanctiſſimè affirmet, candidè tamen fatetur ſe vidiſſe criſim incœptam die critico, fuiſſe abſolutam die intercalari: quin declarat ægros prorſùs judicatos ad ſalutem tertio, quinto & etiam ſexto die quem carbone notavit Galenus. Verùm doctrinam generalem nequaquàm infringunt exceptiones oppidò raræ, atque Hippocratis mentem minùs attigiſſe videntur qui fingunt illum exiſtimaſſe omnes dies morbi acuti poſſe indiſcriminatim ſtatui criticos.

Criſim inſtantem præcedit nox (*c*) gravis, gelidus per oſſa currit tremor, exagitat ægrum perturbatio maxima, contriſtatur, illacrymatur, deſperat de ſalute cum adſtantibus indoctis, vigilat irrequietus, quandoque velut ſyderatus in veternum delabitur, obſcuris vera involvit, incondita loquitur, debacchatur, furit, phrenitide corripitur, non vultus, non color unus, oculi fiunt feroces, quandoque clauſi, pectus anhelum, cor ſalit impetuoſiùs, pulſus præceps, inordinatus. Mox judicatur æger; tumultum excipit ſerenitas, ſi criſis ſuboriatur ſtatu morbi, die judicatorio, congruat magnitudini & ideæ morbi aliiſque circumſtantiis, præceſſerint ſigna pepaſmi (*d*) in excrementis variis, evaneſcant ſymptomata cruditatis, remittat febris, pulſus evadat æqualior, ordinatior, redeat corporis & animi quies, vigeat cibi appetitus, reſtituantur functiones in integrum, inſtauretur habitus corporis; quod evincit indubiè ultimam eſſe reciſam morbi radicem, perfectumque triumphum naturæ ſimul & artis harmonicè conſpirantium. Si ſecùs acciderit, labor, morbi longitudo, recidiva, mors tandem ærumnarum finis, pertimeſcenda veniunt.

Per varia corporis emunctoria foràs exit materia morbifica: per cutem, per alvum, urinarias vias, organa reſpirationis, per hæmorrhagias, &c. erumpit.

Antiqui naturæ veſtigia luſtrantes lynceis oculis & acriori judicio, vix mutabiles diverſarum criſium leges ſanciverunt. Sic prædixerunt ſudores criticos ex molli calore cutis colore roſeo æqualiter perfuſæ, pulſu undoſo, magno, molli, vultu micante, rigore præcedente; hæmorrhagiam narium ex hypochondriorum tenſione abſque dolore, cervicis dolore, pruritu narium, igneo faciei colore, aurium bombo, oculorum caligine tenebricoſâ, gravitate & tenſione capitis, pulſatione temporum, pulſu forti, vibrante; diarrhæam criticam ex tenſione præcordiorum identidem murmurantium, torminibus, ſtrepitu, flatu, ructu, horrore, anxietate, laſſitudine, genuum gravitate, lumborum dolore; vomitum ex nauſeâ, cardialgiâ, ſputo tenui, copioſo, labii inferioris agitatione convulſivâ, vertigine, dolore capitis mordicante quandoque gravativo, rigore, pulſu inæquali.

Neoterici prædictionum doctrinam perficere certatìm allaborant. *Solano* ſagaciſſimus hujuſce ætatis Medicus Hiſpanus novis inventis orbi medico notiſſimis inclaruit; hæc confirmavit & modificatus eſt doctiſſimus D. *Nibell* Medicus Hybernus ad cujus opus (*e*) eximium relegamus plura cupientem.

Ingenioſiſſimus D. *Senac* Archiatrorum comes Bruxellis Solani cando-

(*a*) Hipp. Aph. 24. ſect. 2.

(*b*) Hipp. Aph. 71. ſect. 4.

(*c*) Hipp. Aph. 13. ſect. 2.

(*d*) Concoctiones, celeritatem portendunt judicii, ſecuritatemque ſalubrem. Hipp. Epidem. lib. 1.

(*e*) Obſervations nouvelles ſur les criſes, Paris 1748.

rem quandoque probavit experimentis, addiditque circà pulſum valdè curioſa nec non ſummæ utilitatis: determinavit nempè maximam & minimam pulſûs frequentiam tùm in morboſo cùm in ſano ſtatu.

(f) L'Auteur des recherches ſur les pouls, par rapport aux criſes, Paris 1756.

Autor anonymus (*f*) nec indoctus me herclè, edidit opus ſingularibus refertum prædictionibus ex ſolâ pulſûs obſervatione depromptis, quarum confirmatio multiplex (utinam poſſibilis!) ſagaciſſimis tentata viris nulli opinioni ſervientibus, omni præjudiciorum amore vacuis, plurimam arti iatricæ fœneraretur lucem.

In re tanti momenti nervulos adhibui quò propria dubia aperirem; vix fuerunt perturbati naturæ conatus expectati avidiſſimè. Fida & attenta, nec non ardua edocuit experientia, 1°. quod hæmorrhagia narium rarò ſubſequeretur pulſum Solano reſilientem, veteribus dicrotum ſeu bis ferientem, vulgò *rebondiſſant*. Ex quatuor ægrotis in quibus indubiè deprehendebatur pulſus reſiliens, unus tantùm paſſus eſt leve ſanguinis ſtillicidium è naribus, nedùm quiſquam fuerit judicatus homorrhagiâ narium. 2°. Pulſum Solano intermittentem variè modificatum, nec diarrhæam, nec vomitum, nec urinæ profluvium notabile ſemper prænuntiare, Nihilominùs teſtis fateor non ſemel diarrhæam ſuperveniſſe pulſui intermittenti Solano. 3°. Pulſum Solano inciduum qui differt nomine tantùm à pulſu ſimpliciter undoſo (non vermiculante) Galeni, vix prænuntiare aut comitari ſudores. Criticos ſudores cum pulſu inciduo ſemel tantùm vidi. Quin manifeſtiſſimè, equidem attonitus, obſervavi pulſum inciduum per quatuor dies integros in juvene octodecim annos nato, cui quâque die quater alvus fluxit copioſè, deſiitque cum pulſu inciduo (nullo interìm exorto ſudore) diarrhæa critica quæ perfectè judicavit ægrum ad ſalutem. 4°. Pulſum dictum pectoralem ab Auctore anonymo ſuprà laudato quandoque criſim per expectorationem prænunciare & comitari, ſæpiùs verò nequaquàm quidquid deblaterent fautores lymphatici.

Ex his colligere eſt multa deſiderari adhuc circà pulſum in ordine ad criſes; & quod inſuper dolendum eſt, pede claudo procedent talia inventa, cùm rarò penès ſit Medicum ſpectatoris partes agere in acutis, nè aufugiat volucris occaſio curationis anima.

III.

EFFICACISSIMIS auxiliis inſtructa Medicina, criſes eventuras ad felicem exitum diſponit: evacuantibus turgentem materiam expellit; ſanguinis miſſione plethoram, purgantibus primarum viarum ſaburram educit: temperantibus & demulcentibus calorem moderatur, acrimoniam obtundit: relaxantibus & anodynis nimiùm tenſa & orgaſmo irregulari agitata ſolida, ad ſtatum naturalem reducit: aquoſis, diluentibus, attenuantibus, aperientibus, ſolvit ſpiſſa, glutinoſa, obſtructa & tenaciter impacta: diureticis materiæ morbificæ effugium quærenti per organa uropæa, viam faciliorem ſternit: antiſepticis acidis putrida bilioſa emendat; cardiacis fractas ægri vires erigit & ad colatorium cutaneum noxia citiùs adaptat: ſtimulantibus, veſicantibus neceſſarium excitat eretiſmum, torpidis humoribus fluiditatem debitam conciliat, & ad peripheriam irradiatur & determinatur, viâ factâ, peccans materies alioquin devaſtatura penitùs impotentis machinæ delicatiorem fabricam. Igitur quæque criſeos ſpecies ſuo adjuvatur velut ſpecifico inſtrumento eò ducente quò natura vergit.

In hâcce paragrapho generales indigitavimus pro arctis theſeos cancellis fontes remediorum in acutis perpetuò utilium, quæ ſuppeditat abundè ingens materiæ medicæ campus: horum adminiſtratione ritè intellectâ, gubernatâ

lege artis, fevero exercitatâ ratiocinio, ità fubigitur & mutatur materia cruda, morbifica, ut brevi impleantur vota naturæ crifes molientis.

IV.

NEC arduum eft in medium prolata exemplis corroborare. Quemcumque volueris morbum acutum crifi terminandum feligas, conftabit remedia allegata ut plurimùm vocanda effe in auxilium quò crifis erumpat. Inconcuffa nec unquam interitura veterum Medicorum placita evolventi liquidò patebit. Nonne celebrabant fanguinis miffionem ubi nimius vigor, plenior corporis habitus in melius proficere non poterat & ideò deterior mox evafurus? Nec credas venam fecando femper jugulare ægros ufque ad animi deliquium. Audi Medicinæ Dictatorem de phlebotomiâ prudenter agentem : (*a*) *non tamen ufque eò vacuando pergi velim, ut vafa in fe penitùs concidant, hoc enim tutum non eft: fed quantum natura feret, eò ufque progredi oportet. Extremæ vacuationes periculofæ*; & alibi. (*b*) *Omne nimium naturæ inimicum.*

(*a*) Hipp. Aph. 3. fect. 1. vid. ejufdem coacorum, n°. 491.

(*b*) Aph. 51. fect. 2.

Hippocrati affentitur Galenus qui in methodo medendi enumerat pericula, quæ extremas vacuationes præfertìm fanguinis fequuntur, nec nifi in (*c*) acutiffimis ufque ad fex libras fanguinem educebat & in ægris aliundè robuftis, valdè plethoricis & ætate florentibus, vix unquam in fenibus aut pueris. (*d*) *Atque ubi ad animi ufque deliquium educere convenit, faciendum fi ægrotus par effe poffit*, & alibi *ad extremos morbos, extrema remedia exquifitè optima . . .* Nonnè in tradendis victûs & purgationis legibus in acutis ferè totus eft in aureis aphorifmis optimus Senex? Nonnè foliùs ptifanæ nutrientis, temperantis & invifcantis ufu mirè intellecto, humorum calorem & acrimoniam irretiebant, dum eodem potu analeptico continuas refarciebant corporis jacturas? Nonnè melicrato, oxymelle & aliis medicamentis leviter faponaceis emendabant humorum lentorem & craffitudinem? Nonnè purgantibus liberabant vifcera turgenti materiâ? (*e*) *Purgandum in valdè acutis fi ad fui excretionem invitet materia, eodem ipfo die: differre enim in talibus malum eft*; & alibi (*f*) *cruda movenda fi turgeant . . .* quid plura? ergò apprimè callebant quod licèt natura totis viribus eniteretur quò debellaret, fubigeret, coqueret, & coctam expelleret materiam morbificam, non fufficeret tamen fola oneri levando, ni fuccurreret Medici dextra. Obfervamus enim quotidiè naturam debiliorem conatus ultimos fruftrà exerentem, mox ex toto defecturam, nî fuppetias ferat promptuarium medicum. Attendas ægrum expectoratione criticâ judicandum. Nonnè copiâ puris (ut evenit poft peripneumoniam nullâ arte refolubilem) humorifve bronchialis infpiffati & accumulati onere fuffocaretur ægrotans, nifi cardiacis, balfamicis, & bechicis incidentibus, fundus virium accrefceret, pulmonibus gravi morbo fatigatis & quafi inertibus accederet ftimulus efficax, ficque paulatim anacatharfi fapienter actâ, vitalis functio refpirationis ritè tandem procedat.

(*c*) Vid. Gal. comment. in lib. 1. de victûs ratione.

(*d*) Hipp. Aph. 23 & 6, fect. 1.

(*e*) Hipp. Aph. 10. lib. 4.

(*f*) Hipp. Aph. 22. fect. 1.

Verùm nullibi clariùs elucefcit noftræ fententiæ veritas quàm in variolis. Quid non poffint ad harum eruptionem, inflammatoriique virûs variolofi extricationem, venæ fectio ubi vires funt potiùs oppreffæ quàm exhauftæ, nimifve ferocientes; emefis ubi infarciuntur primæ viæ, & hebetatur natura quafi nefcia proprii difcriminis; balneum aquæ tepidæ ubi cutis aridior, ficcior, obftat eruptioni criticæ quod olim tentavit cum fucceffu (*g*) D. *Lemery*; aut fotus tùm faciei tùm reliqui corporis quartâ quâlibet horâ cum linteo molliori aquâ tepidâ imbuto, ut expertus eft feliciter (*h*) D. *Martin* Med. Laufanenfis; quid demùm valeant cardiaca hypnoticis maritata nulli Medicorum hodiedùm non notum eft: Sic pro variis circumftantiis accuratâ feveri ju-

(*g*) Vid. hift. Acad. Scient. an. 1711. pag. 30.

(*h*) Vid. hift. Acad. Scient. an. 1737. pag. 48.

Similia suadet clariss. D. Huxham in eximio de variolis tentamine.

dicii trutinâ pensitatis hoc vel illud auxilium egregiè succurrit insufficienti naturæ; quod si tempore suppurationis non ritè procedentis delitescant pustulæ, puris variolosi ad sanguinis oceanum reflui resorptione, tunc pro re natâ, venæ sectio, emetica, cardiaca, vesicantia, sunt citò citiùs adhibenda ut denuò repleantur pustulæ, & affulgeat spes salutis. Hæc comprobantur quotidianâ experientiâ: docent *Sydenhamius*, *Boerhaavius*, *Freind*, *Mead*, *Huxham.*

V.

HACTENUS memorata ulteriori probatione non indigent, vixque minimam patiuntur difficultatem. Objicies tamen adversari aphorismo Hippocratis dicentis: (a) *quæ judicantur & judicata sunt integrè, nec movere, neque aliud quidquam novare, vel medicamentis vel aliis irritamentis, sed sinere oportet.* Superiùs dicta perpendenti facilè exorietur responsum. Etenim cùm supponatur natura viribus sufficientibus prædita ut vincat morbi materiam ad excretionem jam anteà ritè comparatam, præcipuum curationis negotium huic potest committi, licet nullus inficias ire queat hìc & etiam Medicum subministrare opem qualemcunque. Verum talis casus oppidò rarus occurrit tantùm in acutis ubi vires ægri robustæ morbum benignum quasi ludunt. Similiter Medicus sagax nil movet in quartanâ superveniente melancholiæ, epilepsiæ, lepræ, scabiei, cùm illa febris, docente summo coacorum oraculo, fiat tunc medicina corporis commutando & expellendo, adauctâ vasorum energiâ, horum ce morborum materiam . . . Urgebis, (b) *raro movendum in acutis cùm cruda raro turgeant.* Hîc cogimur recedere ab Hipp. sententiâ cùm juremus solùm in verba veritatis. Observant enim perpetuò totiùs Europæ practici meritissimi, quod in morbis acutis materia cruda plerùmque turgeat, peccetque quantitate & qualitate simul: undè primis morbi diebus comprobatur idoneorum evacuantium necessitas, quò præcaveantur inflammationes & exacerbationes; dein cruda restitans materies faciliùs coquitur arte ministrâ naturæ, sicque crisis feliciùs erumpit.

(a) Hipp. Aph. 20. sect. 1.

(b) Hipp. Aph. 22. sect. 1.

Ergo in morbis acutis non *soli naturæ crises molienti fidendum.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptista Thurant.

M. Carolus Gillot, Legationis Gallicæ apud Sacras & Cæsareas Majestates Med. ord.

M. Ludovicus-Anna Lavirotte, Censor Regius.

M. Ludovicus-Petrus Felix Renatus le Thieullier, Regis Consiliarius & in Majori Consilio, nec non in magnâ Regiæ domus & Franciæ Præfecturâ Medicus ordinarius.

M. Petrus Ludovicus Maria Maloët, Scholarum Prof. designatus.

M. Alexander-Dionysius Dienert, Bibliothecæ Facultatis Præfectus designatus.

M. Josephus Exuperius Bertin, Supremi Valachiæ & Moldaviæ Principis, dum viveret, Medicus ordinarius, & Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.

M. Carolus Dionis.

M. Gedeon de Rabours.

Probonebat Parisiis LUDOVICUS-MARIA GIRARD DE VILLARS, Lucio-Picto, Doctor Medicus Monspeliensis, Collegii Regii Medicorum Rupellæ Socius, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor, A. R. S. H. 1757, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typogr. 1757.